


*PROBL. Angulum Rectum trisecare.*

Sit Angulus A Rectus trivariam dividendus : super alteru-  
trum crus describe Triangulum æquilaterum A B C *per Probl. 2.*  
*cap. 6.* deinde, posito circini pede fixo in  
vertice anguli A, describe ope pedis mo-  
bilis arcum D F E, qui arcus, mensura an-  
guli Recti A, à latere Trianguli A C, ita  
secabitur, ut D E, ejus arcus; vel D A F an-  
gulus, Recti tertia pars sit : arcus verò F E,  
vel angulus F A E eorundem duæ tertiæ.  
Quare si arcum F G arcui D F æqualem fe-  
ceris, erit totus arcus, & per consequens etiam totus angulus  
Rectus in tres æquales partes divisus : quarum singulis *per ante-*  
*cedentia* bisectis, erit idem angulus Rectus etiam in sex &c. par-  
tes distributus.



Facilius verò etiam eandem trisectionem institues : si o-  
missa trianguli Æquilateri constructione, ex A arcum D E du-  
cas & ex E eadem pedum circini distantia in arcu notes pun-  
ctum F, ex D verò punctum G.

*2. De Laterum varijs sectionibus.*

Latera Trianguli vel Lineæ secantur vel in datas par-  
tes vel datâ ratione.

Utrumq; docebunt sequentia III. Problemata.

*PROBL. I. Datam rectam lineam in duas, quatuor, octo, &c. par-  
tes dividere.*

Bisectio est facilima : coinciditq; omnis praxis cum *Proble-*  
*mate I. Cap. II.* Quæ enim ibi est ratio perpendicularis in me-  
dium punctum lineæ datæ incidentiæ vel intersectionis : ea hîc  
est accuratæ bisectionis. Verum ibi dabatur punctum C li-  
neæ A B